

quod dissipat ejus dotem, & etiam suum patrimonium in ejus grave prejudicium, vel non laborat, cum laborare juxta suam conditionem possit, & aliis ejus labor ad uxoris sustentationem sit necessarius. Septimo, si datam ei fidem matrimoniale violat. Octavo, si eam aliquo morbo contagioso per copulam ab ipsa invita extortam inficiat: Sic Doctores communiter.

4 Vir ab uxore, & e contrario uxor a viro ad maritale consortium severioribus Canonum remediis cogi potest, cap. Literas 13. de restit. spoliat. cap. Ex publico 7. de convers. conjug. cap. Non est 11. de Sponsalib. & Marim. & cap. Pervenit 5. de conjugio Leprosor. & Sacr. Congr. Concil. 10. Sept. 1695. & Benedict. XIV. constituit. incip. Pastor Bonus. §. 50. Alia ad rem: Vide verb. Adultrium, verb. Bona, verb. Conjuges, verb. Debitum conjugale, verb. Delegatio morosa, verb. Divortium, verb. Dominium, verb. Dos, verb. Affinitas, verb. Impedimenta Matrimonii, verb. Luxuria, verb. Maritus, verb. Matrimonium, verb. Tacitus, verb. Uxor.

VIRGA PŒNITENTIARUM.

5 Quoad Virgam Pœnitentiariam datur hic ad literam Consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur.

6 Consultatio XXII. An Canonicus Pœnitentiarius in Cathedrali Ecclesia uti possit virga, sive ut ajunt, bacchetta?

Non potest, quia est prejudicialis Pœnitentiariis Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, & novitatis introductionum. Quippe quilibet Cathedralis poterit sibi tantquam licitum arrogare, quod in simili Romæ gestum fuerit. Non enim talis Canonicus Pœnitentiarius est Pœnitentiarius D. Pape, sed institutus ad observationem decreti Concilii Trident. sess. 24. cap. 8. de reform. Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supremæ auctoritatis, unde solus Summus Pœnitentiarius illam tenet, eoque præsentie, minores Pœnitentiarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicumque Pœnitentiario cujuslibet Ecclesiæ, sed solum illis, qui immediate sunt Pœnitentiarii Summi Pontificis.

Accedit resolutio Sacræ Congreg. super causa Abulæ anno 1787. die 21. Aprilis. Quæsitum enim fuerat, an Canonicus Pœnitentiarius teneretur auscultare Confessiones etiam non reservatorum? An sedere, & assistere in sede determinata statis temporibus, & horis ante, & post meridiem? An deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in Cathedralibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quæsitâ, ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas: Idem quoque declaravit Sacr. Congr. Episcop. & Regul. die 16. Maii 1776. in una Neapolitana per hæc verba: Che senza privilegio Apostolico non possono i Confessori tener in mano le bacchette, come fanno i Pœnitentiarii di Roma.

7 Quare cum sit contra usum totius Ecclesiæ, nusquam enim tales Pœnitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem, & rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit Sacr. Congr. Concilii in una Romana Pœnitentiarii Lateranensis die 13. Nov. 1639. de qua testatur Dominicus Andolphinus Patrochus S. Lucie ad Apothecas, vir pius, & ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

8 Major Pœnitentiarius potest concedere Indulgentiam centum dierum omnibus Christianis, qui ipsi pœnitentiarii Virga tangendos se submitserint: Innocent. XII. constit. incip. Romanus Pontifex.

VIRTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Virtus generatim capta quid sit.
- 2 Virtus specificè, & proprie capta quid sit.

3 Virtus tripliciter dividitur, videlicet ex parte subiecti in virtutes intellectuales, & morales; ex parte cause efficientis in infusas, & acquisitas; & ex parte objecti in theologicas, & morales.

4 Virtutes intellectuales que sint.

5 Virtutes morales que sint.

6 Virtutes infuse que sint.

7 Virtutes acquire que sint.

8 Virtutes Theologice, ac supernaturales que sint.

9 Virtutes morales, ac naturales que sint.

10 Quid sit virtus Theologica ut sit.

11 Quid sit virtus moralis ut sit.

12 Virtus in medio consistit; vitia autem ad extrema tendunt.

13 Vitium quid sit.

14 Assignatur quomodo virtus in medio consistat, & vitia ad extrema tendant.

15 Virtutes quoque Theologice ex parte actus, seu exercitii earum, consistunt in medio.

16 Virtutes Theologice sunt tantum tres, nempe Fides, Spes, & Charitas.

17 Virtutes Theologice sunt perfectiores omnibus virtutibus moralibus.

18 Major, & perfectior inter Virtutes Theologicas est Charitas.

19 Omnes Virtutes Theologice sunt Adultis necessaria ad salutem.

20 Quoad ea, que concernunt Fidem, remissive.

21 Spes quid sit.

22 Spes est actus voluntatis idem cum desiderio.

23 Spes distinguitur realiter à Fide, & Charitate.

24 Objectum materiale primum Spei, est Deus possidendus.

25 Objectum materiale secundarium Spei sunt omnia bona, & auxilia ad beatitudinem, seu Dei possessionem consequendam necessaria.

26 Objectum formale Spei est Deus, quatenus est nobis bonus.

27 Spes reperitur in Viatoribus, non tamen in omnibus.

28 Spes remanet in Animabus Purgatorii.

29 Spes nullatenus est in damnatis.

30 Spes non remanet in Beatis.

31 Virtuti Spei opponuntur duo præcipua vitia, Desperatio scilicet, & Prasumptio, & quomodo.

32 Desperatio quid sit.

33 Prasumptio quid sit.

34 Charitas quid sit.

35 Ex eodem motivo diligitur proximus Charitate Theologica, ac diligitur ipse Deus.

36 Unde objectum primum Charitatis est Deus; Objectum vero secundarium est proximus noster.

37 Objectum formale, seu motum Charitatis Dei est ipsamet Dei bonitas absoluta, qua in se infinite bonus est in omni genere entis, & perfectionis.

38 Charitas Theologica distinguitur realiter à Fide, & Spe.

39 Charitas in Patria remanet in Beatis.

40 Datur præceptum verum, & speciale diligendi Deum etiam actu interno.

41 Deus ex præcepto diligendus est super omnia, saltem appetitive, non vero intensive.

42 Quid sit Deum diligere super omnia appetitive, & intensive.

43 Ostenditur, quod Deus ex præcepto diligendus sit super omnia appetitive.

44 Ostenditur, quod Deus non sit ex præcepto diligendus super omnia intensive, ad num. 46.

45 Præceptum diligendi Deum super omnia, prout est negativum, obligat semper.

46 Prout est affirmativum obligat solum certis temporibus.

47 Assignantur dicta tempora.

48 Afferuntur ad id tres propositiones damnatæ ab Innocentio XI.

49 Ultra Deum super omnia tenemur diligere proximum, sicut nosmetipsos.

50 Afferuntur ad id due propositiones damnatæ ab eodem Innocentio XI.

51 Item

53 Item ex speciali præcepto Charitatis tenemur diligere inimicos.

54 Inimicos tenemur ex præcepto Charitatis exhibere communia, & generalia signa dilectionis communiter omnibus aliis ejusdem status, conditionis, ac qualitatis præstari solita.

55 Exciipiendi sunt tamen casus, in quibus Charitas, vel Justitia aliud prudenter suadent, aut rationabilis causa. Et assignantur tales casus, ad numer. 57.

56 Specialia signa dilectionis per se loquendo non tenemur præstare inimicis ex præcepto Charitatis, sed solum ex consilio.

57 Ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur exhibere inimicis signa aliqua, vel beneficia specialia Charitatis, & designatur quando.

58 Quæ ex Charitate diligenda sunt, non sunt omnia equaliter diligenda, sed inter ipsa servandus est debitus ordo Charitatis, qui assignatur.

59 Hinc post Deum tenetur quisque ceteris paribus magis diligere animam suam, quam animam proximi.

60 Tenetur autem quisque magis diligere animam proximi, quam proprium Corpus.

61 Non tenetur tamen quis succurrere proximo in extrema sua spiritali necessitate cum certo periculo propria vite, si spes nulla, aut incerta sit cum juvandi.

62 Propriam vitam pro aliena vita exponere an sit licitum, & aliquando necessarium, ad n. 65.

63 Inter proximos magis diligendi, & prius subveniendi sunt qui nobis magis conjuncti sunt juxta triplicem conjunctionem, spirituales, carnales, & morales, seu civiles.

64 Quamvis ordo servandus sit in necessitate extrema, gravi, & communi remissive.

65 Qui ex inimicitia alium offendit, vel læsit exterius, tenetur ex Charitate ad reconciliationem externam, & ex Justitia etiam ad satisfactionem injuriæ, & ad restitutionem damni illi.

66 Quantum tamen commode potest.

67 Veniam petere ab inimico læso, vel offenso, quando sit necesse.

68 Assignantur varii casus, in quibus non est obligatio petendi veniam.

69 E duobus mutuo se offendentibus quis teneatur prius reconciliationem petere, & procurare.

70 Omnis offensus, vel læsus tenetur Offensori veniam petendi vere, & sincere, injuriam, vel offensam remittere.

71 Salva tamen Justitia, & Jure suo.

72 Nulla opera hominis sunt Deo grata & meritoria, nisi prius antequam ea faciat, se proximo suo reconciliaverit.

73 Virtuti Charitatis opponitur directe vitium odii Dei, aut proximi.

74 Item Charitati opponuntur plura alia vitia, ut Acedia, Invidia, Ira, Scandalum, Schisma, Bellum, Discordia, Contentio, Rixa, Seditio.

75 Quoad Acediam, remissive.

76 Quoad Invidiam, remissive.

77 Quoad Iræ, remissive.

78 Quoad Scandalum, remissive.

79 Quoad Schisma, remissive.

80 Quoad Bellum, remissive.

81 Discordia quid sit, & quare opponatur Charitati.

82 Contentio quid sit, & quare opponatur Charitati.

83 Rixa quid sit, & quare opponatur Charitati.

84 Seditio quid sit, & quale sit peccatum oppositum Charitati, & Paci pollicæ.

85 Virtutes Cardinales quatuor communiter assignantur, scilicet Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

86 Quare nuncupentur Cardinales.

87 Ceteræ morales Virtutes sunt Virtutum Cardinalium partes, vel subiectivæ, vel integrales, vel potentiales.

91 Omnes Virtutes morales, sive Cardinales, sive eis adjunctæ, sunt ita inter se connectæ, ut nulla prorsus absque ceterarum comitatu obtineri possit in statu perfecto, & heroico.

92 Bene tamen potest una sine ceteris aliis esse in statu imperfecto.

93 Virtus moralis proprie sumpta quid sit.

94 Mediocritas, seu medium est duplex, scilicet medium rei, & medium rationis, & quodnam sit utrumque.

95 Vitium morale quid sit.

96 Prudentia quid sit.

97 Prudentia quamvis essentialiter non sit Virtus moralis, sed intellectualis, est tamen directiva, dux, & Regina omnium moralium Virtutum.

98 Partes integrales Prudentiæ sunt octo, nempe Memoria, Intelligentia, Providentia, Ratio, Docilitas, Solertia, Circumspectio, Cautio.

99 Quid sint singula dicta partes.

100 Partes subiectivæ Prudentiæ sunt quinque, scilicet Monastica, Œconomica, Politica, Legislativa, & Militaris.

101 Quid sint singula dicta partes.

102 Partes potentiales Prudentiæ sunt tres, nempe Eubulia, Synesis, & Gnome.

103 Quid sint singula dicta partes.

104 Vicia Prudentiæ opposita per defectum sunt quatuor, scilicet, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia.

105 Quid sint singula dicta vitia.

106 Vicia Prudentiæ opposita per excessum sunt quinque, scilicet Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, & Nimia Sollicitudo temporalium.

107 Quid sint singula dicta vitia.

108 Justitia quid sit.

109 Jus quid sit.

110 Partes subiectivæ Justitiæ sunt due, scilicet Justitia distributiva, & Justitia commutativa.

111 Quamvis autem sit Justitia distributiva, & commutativa, remissive.

112 Utraque Justitiæ aequalitatem, seu proportionem quamdam servat. Distributiva proportionem Geometricam, seu medium rationis; & commutativa proportionem Arithmeticam, seu medium rei.

113 Quodnam autem sit medium rei, seu Arithmeticum, & quod sit medium rationis, seu Geometricum, remissive.

114 Si quis medium rationis in Justitia distributiva, vel medium rei in Justitia commutativa non servet, tunc Jus ipsum lædit, & legem, qua Jus illud constituitur, violat.

115 Partes integrales Justitiæ sunt due, & assignantur, ac declarantur.

116 Partes potentiales Justitiæ sunt octo, scilicet Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratia, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia, quibus additur Affabilitas.

117 Quid sint singula dicta partes.

118 Vicia opposita Virtuti Justitiæ generatim sunt omnes injustitiæ, quibus violatur tam Justitia distributiva, quam Justitia commutativa, tam per excessum, quam per defectum.

119 Assignantur vitia opposita singulis partibus potentialibus Justitiæ.

120 Fortitudo quid sit.

121 Partes velut subiectivæ Fortitudinis sunt due, scilicet Magnanimitas, & Patientia, & quid utraque sit.

122 Partes Fortitudinis integrales, que & potentiales quoque appellari possunt, sunt præsertim Fiducia, Magnificencia, & Perseverantia. Et quid singula sint.

123 Vicia opposita Fortitudini sunt Temeritas, seu Audacia, & Timiditas, seu Ignavia.

124 Et quid sint.

125 Magnanimitati opponitur per excessum Prasumptio, & Ambitio; per defectum autem Pusillanimitas, & quomodo.

- 126 Patientia opponitur per excessum Impatientia, per defectum autem Insensibilitas, & quomodo.
- 127 Fides, seu Confidentia opponitur per excessum Audacia, seu Temeritas, ac Presumptio, & per defectum Timiditas, seu Ignavia, ac Pusillanimitas, & quomodo.
- 128 Magnificentia opponitur per excessum Profusio pecuniae, & per defectum Parvificentia, & quomodo.
- 129 Perseverantia, seu Constantia opponitur per excessum Pertinacia, & per defectum Mollities animi, seu Inconstantia.
- 130 Temperantia quid sit.
- 131 Partes subiectivae Temperantiae sunt Abstinencia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia, & quid singula sint.
- 132 Partes potentiales Temperantiae sunt Continentia, Humilitas, Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Extrapelia, seu Urbanitas, & quid singula sint.
- 133 Partes integrales Temperantiae sunt Verecundia, & Honestas, & quid utraque sit.
- 134 Vitia opposita Temperantiae sunt Stupor, & Intemperantia, & quid sint.
- 135 Assignantur vitia opposita aliis Temperantiae partibus.

Virtus generatim capta, est cuiuscumque rei vigor, bonaque dispositio, quae subiectum, cui inest, in suo genere bonum, perfectumque, ejusque operationem aliquam excellentem reddit: Sic v. gr. oculi virtus est bona ac perfecta videndi acies; equi virtus est facilitas, & promptitudo currendi, ac portandi; hominis virtus est bonus habitus, ex quo & bonus homo ipse efficitur, & bonum ejus opus reddit; unde Aristotel. 2. Ethic. c. 9. definit: *Virtus est, quae bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.*

1 Virtus specificae, & propriae capta, prout reperitur in sola substantia intellectuali, & non in brutis, aut rebus inanimatis, est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam rectamque operationem inclinans. *Sic in re Doctores communiter.*

2 Et haec Virtus tripliciter dividitur, videlicet ex parte subiecti in virtutes intellectuales, & morales; ex parte causae efficientis in infusas, & acquisitas; & ex parte objecti in theologicas, & morales. *Ita Doctores communiter.*

3 Virtutes intellectuales sunt illae, quae intellectum, in quo subiectantur, perficiunt in cognitione veri, & tales juxta Aristotelem 6. Ethic. c. 3. sunt quinque, nempe Intellectus, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars, quibus addi potest Fides infusa, & Theologica, quam Philosophus ignoravit. Virtutes morales sunt illae, quae hominis voluntatem, in qua subiectantur, perficiunt in affectione ad bonum honestum, & tales sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia, sub quibus aliae continentur, vel ad illas reducuntur: Prudentia enim quamvis essentialiter sit Virtus intellectualis, est tamen dux, & Regina omnium Virtutum moralium. *Vide infra num. 96.*

4 Virtutes infusae, seu supernaturales sunt illae, quae nequeunt per potentiam naturalem comparari, sed ex natura sua intrinseca postulant infundi, sicque nobis a Deo immediate infunduntur, ut sunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis, qui etiam parvulis in Sacramento Baptismi divinitus infunduntur, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. ubi: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fides, Spes, & Charitatem.*

5 Virtutes acquisitae, seu naturales sunt illae, quae ex natura sua possunt physice acquiri ab ipsa potentia per frequentationem actuum, & de factis nostris frequentatis actibus comparantur, & acquiruntur, ut sunt habitus Humilitatis, Temperantiae, Mansuetudinis, & hujusmodi: Unde Philosophi dicunt, quod ex frequentatis actibus fit habitus.

6 Virtutes Theologicae, ac supernaturales sunt illae, quae immediate, & principaliter versantur circa Deum tamquam objectum quod, & formale, & tales sunt Fi-

des, Spes, & Charitas: Ista enim solae habent Deum pro objecto primario, quod creditur, quod speratur, quod diligitur, & etiam habent ipsum, ejusque a tributum pro objecto motivo, seu formali quo. Virtutes morales, ac naturales sunt illae, quae principaliter versantur circa aliquod objectum creatum tamquam objectum formale, & terminativum quoad dirigendos mores, & moderandos affectus animi nostri juxta dictamen rectae rationis, & tales sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia, sub quibus reliquae omnes virtutes morales, vel tamquam partes subiectivae, vel potentiales, & integrales comprehenduntur.

Unde Virtus Theologica ut sic recte describitur, quod sit habitus supernaturalis a Deo infusus elevans animam, ut immediate feratur in Deum tamquam objectum: Ita in re Communis Doctores.

Et Virtus moralis ut sic recte definitur, quod sit habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos determinata ratione, prout sapiens definitur: Ita Aristoteles 2. Ethic. c. 6. Scotus in 3. dist. 36. quest. unic. §. Dicitur: & alii communiter. Ubi per ly *Habitus electivus* intelligitur habitus voluntatis, cum ipsa voluntas soleat appellari potentia electiva, & per ly *In mediocritate consistens* &c. intelligitur, quod ad rationem Virtutis requiritur mediocritas a recta ratione prudentis praefinita.

Hinc currit illud vulgatum, quod *Virtus in medio consistit, Vita autem ad extrema tendunt.* Vitium enim, prout opponitur Virtuti, est habitus electivus in mediocritate declinans, sive est habitus inclinans in actum contra praescriptum recte rationis: Sicut enim Virtus reddit habentem bonum, & ejus opus bonum, ita contra Vitium reddit habentem malum, & ejus opus malum: *Vide infra num. 93. & seq.*

Tunc autem formaliter, & secundum se *Virtus in medio consistit, & vitia ad extrema tendunt,* quando ipsemet habitus inter duos extremos habitus vitiosos sibi oppositos versatur: Sic liberalitas mediat inter avaritiam, & prodigalitatem, nam quodlibet horum extreme opponitur Liberalitati: Avaritia quidem per defectum sumptus etiam necessarios non faciendo: Prodigalitas vero per excessum expendendo bona sua in sumptus non necessarios: Unde, ut vides, vitia ad extrema tendunt, nempe ad excessum, & defectum: Virtus vero amat, & consecretur id, quod inter utrumque dictum extremum medium est, sive mediocritate. Sit aliud exemplum: Qui facile omnia metuit ubi, & quando non oportet, nihilque aggredi audeat, is per defectum est vitiosus Timidus: Qui vero omnia aggredi audeat, etiam ubi, & quando non oportet, nihilque timeret, is per excessum est vitiosus Audax: Inter ipsos autem extreme oppositos vitiosos mediat virtuosus Fortis, declinans ab utroque extremo, & medium tenens, metuendo scilicet, & non metuendo, aggrediendo aliquid, & non aggrediendo, ubi, & quando oportet secundum rectam rationem: Et sic de aliis.

Virtutes quoque Theologicae ex parte actus, seu exercitii earum consistunt in medio: In exercitio enim ipsarum potest dari tum excessus, tum defectus. Excessus quidem in Fide credendo aliquid Deo convenire, quod non convenit. In Spe sperando, seu potius praesumendo Beatitudinem consequi sine meritis, aut ex propriis viribus. In Charitate diligendo Deum actione indebita, prout fieret se ipsum ob amorem Dei pativatum interficiendo, aut eadem immolando filium suum. Defectus autem in ipsis dari potest, & de facto datur, non credendo, sperando, vel diligendo prout debet tempore urgentis praecipit, seu discredendo pertinaciter, desperando, Deum odio habendo: Unde ille vere Virtutibus Theologicis est institutus, atque ornatus, qui, prout debet, credit, sperat, & diligit, declinando ab utroque dicto extremo excessus, & defectus, juxta illud Isaiae 28. *Hoc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram (scilicet per excessum) neque ad sinistram, (videlicet per defectum.)*

Virtutes Theologicae sunt tantum tres, nempe Fides, Spes, & Charitas: Communis, & habetur clare

ex Apostolo 1. ad Corinthi. cap. 13. ubi has tres solum enumerat: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec; & ex Tridentin. sess. 6. cap. 7. ubi solum has tres enumerat: In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fides, Spes, & Charitatem.*

17 Virtutes Theologicae sunt perfectiones omnibus Virtutibus moralibus: Virtutes enim Theologicae perfectius habent objectum, nempe ipsum Deum, cum ordinentur ad Deum immediate, ad differentiam Virtutum Moralium, quae ad Deum ordinantur tantum mediate: Communis.

18 Major, & perfectior inter ipsas Virtutes Theologicas est Charitas: Ipsa enim perfectius nos conjungit cum Deo, quam Fides, & Spes. Unde Apost. 1. ad Corinthi. cap. 13. expresse dicit: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec, major autem horum est Charitas.*

19 Omnes tres Virtutes Theologicae sunt adultis necessariae ad salutem: Non possunt enim salvari adulti, nisi credant, sperent, & diligant; actus autem credendi, sperandi, & diligendi ex Dei ordinatione ab eorum habitibus procedunt, adeoque &c. Unde Scotus in 3. dist. 3a. num. 6. expresse dicit: *Fide tenemur, tres Virtutes Theologicas esse necessarias, perficientes immediate animam respectu objecti increati:* Et S. Augustin. *term. 53. de tempore,* sic habet: *Tria quaedam proposuit anima nostra necessaria beatus, & egregius genitum Doctor dicens: Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: Unde Alexander VII. die 24. Septembris 1665. merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine: Homo nullo nunquam vitia sua tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi praceptorum divinatorum ad earum Virtutes peritum.*

20 Quoad ea, quae concernunt Fidem: *Vide verb. Fides per tot.*

21 Spes est Virtus Theologica divinitus infusa, qua ex liberali Dei promissione fiducialiter desideramus nobis bonum infinitum per Dei auxilium: & merito nostra obtinendum: Ita desumitur ex Scoto in 3. dist. 26. quest. unic. num. 10.

22 Spes est actus voluntatis idem cum desiderio: Scotus *loc. cit. num. 19.* Scotistae, & alii. Sperare enim quantum ad praesens idem est, ac desiderare, quia spes fertur in bonum absens ut possidendum; actus autem ille, quo bonum absens ut possidendum appetitur, est desiderium, adeoque spes est actus voluntatis idem cum desiderio.

23 Spes distinguitur realiter a Fide, & Charitate: S. Thomas 2. 2. quest. 17. art. 6. Scotus *loc. cit. num. 17.* & alii passim: Et ratio est, quia ubi sunt distincti actus, & distincta objecta formalia, ibi sunt distincti realiter habitus: Fidei autem, Spei, & Charitatis diversi sunt actus, cum actus Fidei sit credere, actus Spei desiderare, & actus Charitatis diligere: Item distincta sunt objecta formalia, cum objectum formale Fidei sit Deus ut verax, Spei sit Deus ut nobis bonus, & promissus, & Charitatis sit Deus ut bonus in se, adeoque &c. Tum quia sperare idem est ac desiderare; desiderare autem est actus voluntatis, & credere est actus intellectus, adeoque Spes distinguitur realiter a Fide: Item distinguitur realiter a Charitate, quia Charitas est amor amicitiae, quo Deus diligitur propter seipsum, Spes vero est amor concupiscentiae, quo Deus diligitur propter nos, seu ut bonus nobis, & adeoque &c.

24 Objectum materiale primum Spei est Deus possidendus: *Est in re Communis:* Et ratio est clara, quia objectum materiale primum Spei nostrae est illud, quod expectamus in caelis: Non expectamus autem Deum tantum: sed Deum in caelis possidere: adeoque objectum materiale primum Spei est Deus possidendus.

25 Objectum autem materiale secundarium Spei sunt omnia bona, & auxilia ad Beatitudinem, seu Dei possessionem consequendam necessaria: *Est in re Communis:* Et ratio est evidens, quia qui vult finem, vult & media necessaria ad ipsum finem consequendum, adeo-

que, qui sperat Deum in aeterna Gloria beatifice possidendum, sperat etiam media necessaria ad ipsam attingendum, seu consequendum, uti sunt omnia bona, & Dei auxilia ad obtinendam remissionem peccatorum, ad meritorie operandum, & ad finaliter in gratia sanctificante perseverandum.

Objectum formale Spei est Deus, quatenus est nobis bonus: Sic desumitur ex Scoto in 3. dist. 26. quest. unica, & tenent Herincx *disp. 10. de Spe quest. 1. num. 11.* Reiffenstuel *theolog. moral. dist. 1. quest. 1. conclus. 4. num. 6.* Tannerus *tom. 3. disp. 2. quest. 1. num. 14.* citans S. Thomam, Suarez, & alios, Sanig. *tom. 4. dist. 4. quest. 1.* & alii plures contra alios. Et ratio nostra est, quia illud est objectum formale Spei, quod proprie movet ad appetitum, seu desiderium objecti materialis: talis autem ratio motiva est bonitas Dei respectiva nobis, seu Deus ut est bonus nobis, seu nobis commodum affert: Voluntas enim nostra nihil appetit, nisi sub ratione boni, adeoque &c.

Spes, reperitur in Vitoribus, non tamen omnibus: *Communis:* Et quidem prima pars patet ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. ubi expresse docet, in justificatione infundi Fidem, Spem, & Charitatem: *Vide supra num. 6. & 16.* ubi afferuntur verba praecisa Concilii: Et secunda pars patet de Judaeis, Turcis, aliisque Infidelibus, & Haereticis, qui non habent Spem Theologicam, & supernaturalem, quia cum careant Fide supernaturali, quae est basis, & fundamentum Spei, carere debent etiam Spe supernaturali: unde si vitam aeternam sperent, id faciunt Spe naturali, & acquisita, sicuti Fide naturali, & humana credunt aliquos Fidei articulos. Item patet de peccatoribus illis, qui desperant de sua salute: Isti enim Spem amiserunt: nam sicut habitus Fidei deperditur per quemlibet actum infidelitatis, ita habitus Spei etiam deperditur per quemlibet actum desperationis de salute, vel de mediis ad salutem.

Spes remanet in Animabus Purgatorii: *Com. inter Catholicos:* Et ratio est, quia ipsae Animae vere expectant Beatitudinem, quam cognoscunt obscuram, futuram, absentem, & arduam, utpote acquirendam per poenas, quas patiuntur, non quidem merendo per illas, sed satisfaciendo.

Spes nullatenus est in damnatis: *Communissima,* 29 textu expresso in illo Proverb. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra Spes:* Tum quia in Damnatis viget perpetua desperatio, quae est totaliter opposita Spei.

Spes non remanet in Beatis: *Communis:* Et clare habetur ad Romanos 8. ubi: *Spes, quae videtur, non est Spes, nam quod videt quis, quid sperat? Atqui Beati Deum vident, eoque perfecte fruuntur; ergo amplius illum non sperant.*

Virtuti Spei opponuntur duo praecipua vitia, Desperatio scilicet, & Praesumptio. Desperatio ei opponitur per defectum, ut cum quis desperat sese remissionem peccatorum suorum, & Beatitudinem aeternam consequitur, atque ideo ab ejus procuratore ob impossibilitatem, vel nimiam difficultatem mediolorum apprehensam omnino desistit. Praesumptio autem ei opponitur per excessum, ut cum quis praesumit se divinam gratiam, & aeternam gloriam ex se ipso, & propriis viribus consequi posse, seu e contra praesumit se sola Dei misericordia, ac liberalitate, & Christi meritis absque propria cooperatione per bona opera aeternam Beatitudinem consequitur: *Sic Doctores communiter.*

Unde Desperatio definitur, quod sit voluntaria, & deliberata abiectione omnis Spei consequendi Beatitudinem, vel media ad illam conducentia ex opinione impossibilitatis, aut nimiae arduitatis: *Est in re Communis.*

Et Praesumptio definitur, quod sit temeraria Spes hominis sibi, aut Deo innixi consequendi Gratiam, & Gloriam aeternam absque mediis a Deo ordinatis: *Est etiam in re Communis.*

Charitas est Virtus Theologica divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se super omnia, & Proximus propter Deum: *Communis:* Unde ex eodem motivo diligitur proximus Charitate Theologica, ac diligitur ipse

BIBLIOTECA CENTRAL

se Deus, & consequenter est unus, & idem habitus Charitatis inclinans ad diligendum Deum & proximum propter Deum: Ubi enim unicum est operandi motivum, ibi sufficit unus habitus. Hinc S. August. de Trinit. l. 8. cap. 8. in fine, sic expresse dicit: *Ex una, eademque Charitate Deum, proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, & proximum propter Deum, & ideo Scotus dist. 8. num. 8. concludit, quod ratio bonitatis proximi non est ratio terminans actum, nempe Charitatis.*

35 Unde objectum materiale primum Charitatis est Deus, objectum vero secundarium est proximus noster: Communis. Objectum autem formale, seu motivum Charitatis Dei est ipsamet Dei bonitas absoluta, qua in se infinite bonus est in omni genere entis, & perfectionis: Sic in re Communis Doctorum: Et ratio est, quia illud est objectum formale Charitatis, quod est objectum Beatitudinis; atqui Deus, ut absolute bonus in omni genere entis, & perfectionis est objectum Beatitudinis, cum ut sic sit maxime satiativus, ergo &c.

38 Charitas Theologica distinguitur realiter a Fide, & Spe: Communis cum Scoto in 3. dist. 27. num. 2. ubi sic expresse habet: "Hac virtus distincta est a Fide, quia actus ejus non est credere, similiter a Spe, quia actus ejus non est concupiscere bonum amantem, in quantum est commodum amantis, sed tendere in objectum secundum se, etiam per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas in Patrem." Et ratio patet ex dictis supra num. 23.

39 Charitas in Patria, seu statu glorie celestis remanet in Beatis: Communis, ac certa per illud 1. ad Corinth. 13. Charitas nunquam excedit; excederet autem Charitas, si non remaneret in Beatis: Immo Sancti in oculis longe perfectius diligunt Deum, quam Justi in hoc mundo.

40 Datur præceptum verum, & speciale diligendi Deum etiam actu interno: Communis, text. expresse Deuteronomii 6. ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua:* Quod idem repetit Christus Math. 22. addens: *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Et ne quis dubitet de hac obligatione sub mortali, clamant Joann. Apost. Epist. 1. cap. 2. *Qui non diligit, manet in morte:* Unde Alexander VII. die 24. Septembris 1662. merito damnavit sequentem propositionem primam in ordine: *Homo nullo unquam vite sue tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas Virtutes pertinentium.*

41 Deus ex præcepto diligendus est super omnia saltem appetitive, non vero intensive: Est Communis quoad primam partem, & Communior quoad secundam. Ut facilius tamen hæc percipiatur conclusio, advertendum est cum Scoto in 3. dist. 27. quest. unica §. Quamvis ad illum: & aliis pluribus, quod Deus potest super omnia diligere dupliciter, scilicet appetitive, & intensive. Tunc Deus diligitur super omnia appetitive, seu æstimative, aut prælative, quando plures eum facimus, quam omnes creaturas, ita ut parati simus potius omnia perdere, imo & vitam propriam, quam Deum offendere, sicutque Deum omnibus Creaturis præferre, & nullius timore, aut amore, ab ejus amicitia, seu Charitate separari, juxta illud Apostoli ad Roman. 8. num. 38. ibi: *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei.* Tunc autem diligitur Deus super omnia intensive, quando actu majori, seu conatu intensiori & vehementiori actu tenentiori, ac ferventiori affectu Deum præ alio diligimus. Hac igitur terminorum explicatione præmissa:

43 Probatum conclusio quoad primam partem ex Sacra Scriptura: Matthæi enim 10. Christus ait: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus:* Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus;* ergo si patri, & matri, uxori,

filii, & etiam nobis ipsis debemus Deum præferre; & fortiori debemus ipsum præferre ceteris creaturis: Accedit ratio, quia cum Deus sit absolute, & simpliciter super omnia bonus, etiam absolute, & simpliciter est super omnia appetitive, seu æstimative, vel prælative diligendus.

44 Probatum quoad secundam partem nempe, quod Deus non sit ex præcepto diligendus super omnia intensive; & ratio est, quia pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente &c. sufficit, quod eum diligamus super omnia appetitive, æstimative, seu prælative, ita ut eum præferamus in appreciatione, & æstimatione omnibus creaturis, & nobis ipsis, & nullius creaturæ amore, vel timore velimus ejus præcepta transgredi: nam, ut habetur ex Epist. 1. S. Joannis c. 2. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc Charitas Dei perfecta est;* si ergo, qui observat Dei mandata, habet vere charitatem Dei perfectam, Vere in hoc Charitas Dei perfecta est, stat clarum, quod pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde &c. sufficit, quod eum diligamus super omnia appetitive, ejus præcepta plene observando præferenter ad amorem vel timorem cujuscumque creaturæ, ita ut nullius amore, vel timore ea unquam transgrediamur: Unde etiam ipsemet Christus Dominus solum proposuit hæc præceptorum observantiam, tanquam verum signum dilectionis ex affectu Charitatis Joan. 14. num. 13. ibi: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* adeoque &c.

45 Tum quia si pro adimplendo præcepto diligendi Deum ex toto corde &c. deberetur diligi Deus super omnia intensive, sequeretur, quod unus justus non posset intensius amare Deum, quam alius, & quod nec etiam amor requisitus pro adimplendo præcepto diligendi Deum posset ullatenus augeri, quod nullimode est dicendum, adeoque non requiritur necessario amor intensivus, sed sufficit appetitivus.

46 Tum etiam quia homines naturali inclinatione ferventiori affectu feruntur in sensibilia, & præterita, quam in insensibilia, & absentia; unde fit, ut licite quæramus amet Deum super omnia appetitive, & tamen naturali virtute feratur intensiori affectu in aliquam creaturam absque offensa Dei, interim paratus, & resolutus, ut si necesse esset aut Deum offendere, aut illam creaturam amittere, omnino illam creaturam potius amitteret, quam Deum offenderet. Et de facto, sicuti experientia constat, quod non semel aliquis catulum v. g. aut aliam creaturam ferventius, ac tenerius amet, quam proprium filium, non tamen firmius, & magis æstimative, quod inde cognoscitur, quia si vel catulum, vel filium amittere deberet, utique potius catulum, quam filium perdere vellet; ita etiam fieri potest, ut aliquis sine culpa intensius, ac tenerius amet uxorem, filium, aut amicum, quam ipsum Deum, non tamen firmius, & magis æstimative, si interim animo paratus sit, & resolutus potius uxorem, filium, aut amicum deserere, quam Deum offenderet: Unde quod Matthæi 10. Christus Dominus dicit: *Qui amat patrem, vel matrem plusquam me, non est me dignus,* intelligi debet secundum majorem appreciationem, seu æstimationem, & non secundum majorem intensiorem, juxta interpretationem Doctorum interpretationem, teste Sporer tom. 1. tract. 2. in 1. præcept. decalog. cap. 5. sect. 2. num. 29. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 2. num. 3. ubi refert hæc nostram sententiam ex communi doceri à Navarro, Suarez, Gabriele, Toletio, Valentia, & Sanchez, & tenent S. Bonaventura dist. 27. art. 2. quest. 6. Sporer loc. cit. Boyvin. tom. 4. disp. 3. de Charitate quest. 1. vers. dicitur 3. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 286. ubi dicit, quod amor appetitivus est perfectior intensivo, Reiffenstuel theol. moral. tract. 46. dist. 6. quest. 1. num. 7. alique plures Scotistæ, & Frassen. de Virtutibus Theologicis tract. 2. disp. 3. quest. 3. conclus. 2. citans Scotum in 3. dist. 27. num. 17. quamvis ab aliis citetur, & revera teneatur pro sententia contraria per hæc sua verba loc. cit. num. 17. ibi: *Sicut enim tenetur diligere Deum super omnia alia extensivè, ita etiam*

majori affectu, quam aliquod aliud, quæ verba non parum urgent.

47 Præceptum diligendi Deum, prout est negativum, ne videat Deum odio habeamus, aut aliquid agamus, quod ejus dilectioni, & amicitia sit contrarium, obligat semper; Communis.

48 Præceptum autem affirmativum de Deo super omnia diligendo obligat solum certis temporibus; Communis. Et hæc tempora quatuor potissimum à Doctoribus solent assignari. Primo circa initium usus rationis. Secundo cum urgente gravi tentatione, periculum impendit homini ne in odium Dei labatur, nisi ad Deum per actum dilectionis convertatur. Tertio sæpius in vite decursu, ita ut non multo tempore differatur actus dilectionis Dei. Quarto circa articulum mortis, & quoties tenetur quis elicere actum Contritionis, v. g. moriturus, & sacrificatur, si conscius peccati mortalis non habeat copiam Confessarii; Contritio enim includit necessario dilectionem Dei super omnia.

50 Unde quoad hoc semper præ oculis habendæ sunt, & evitandæ tres sequentes propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. Prima, quinta in ordine, est ut sequitur: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicere? condemnare non audeamus.* Secunda, sexta in ordine: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Tertia, septima in ordine: *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

51 Ultra Deum super omnia tenemur ex præcepto charitatis diligere proximum sicut nosmetipsos; Communis præcepto expresso Matthæi 22. num. 39. ibi: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum;* & Joann. 13. ibi: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, & Epist. 1. Joann. cap. 4. ibi: Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Unde Innocent. XI. die 2. Martii 1697. merito damnavit duas sequentes propositiones. Prima, in ordine decima, est ut sequitur: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Secunda, in ordine undecima: *Præcepto proximum diligendi satisficere possumus per solos actus externos.*

53 Item ex speciali præcepto charitatis tenemur diligere inimicos; Communis. Sic enim expresse præcipit Christus Matthæi 5. ibi: *Ego autem dico vobis, diligit inimicos vestros.* Quod præcipit sub peccato gravi; nam Matth. 18. num. 35. habetur, quod nec Pater Celestis dimittit nobis peccata, nisi prius dimiserimus fratri nostro de cordibus nostris, ibi: *Sic & Pater meus Cælestis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris;* & Marc. 11. num. 26. ibi: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra, & idem habetur Matthæi 6. num. 15.*

54 Inimicos tenemur ex præcepto charitatis exhibere communia, & generalia signa dilectionis communiter omnibus aliis ejusdem status, conditionis, ac qualitatis præstari solita; Communis. Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus, & elemosynis eum includere, communia officia, vel obsequia, quæ omnibus passim in communitate, civitate, collegio, monasterio, vel domo aliqua exhiberi solent, etiam ipsi præstare, idque sub gravi, vel levi peccato, prout actenta personarum, locorum, aut aliarum circumstantiarum conditione gravis, aut levis reputabitur contemptus. Et ratio est, quia talis exclusio à dictis, aliique communibus dilectionis signis vindictam indicat, quæ privatis Personis interdicta est, juxta illud Levitici 19. *Non queret ultionem, neque eris memor injurie civium tuorum.* Et ad Romanos cap. 12. num. 19. *Mibi vindicta, Ego retribuam, dicit Dominus.* Et idem ad Hebræos c. 10. num. 30.

55 Excipiendi sunt tamen casus, in quibus charitas, vel justitia aliud prudenter suadent, aut rationalis causa excusat; charitas enim erga ipsummet inimicum non semel prudenter suadet negare inimicæ signa communia dilectionis, seu charitatis, videlicet salutationes,

responsiones, allocutiones, & hujusmodi, vel quia sic speratur emendandus, errorem suum agniturus, & correcturus, vel quia timetur ex his signis deterior futurus, injuriam illatam parvipensurus, & facilius denuo illaturus, aut talia signa charitatis sibi in despectum ferri, aut aliter in malum sensum interpretaturus. Item etiam Charitas erga seipsum interdum prudenter suadet negare inimico dicta signa, & evitare ejus consortium, colloquium, familiaritatem, & hujusmodi, ne inde nova jura insurgant, vetera oïlia reaccendantur, & graviora mala oriantur, eo quod sit naturæ rixosæ, & hujusmodi.

✦ Explorata res est, ita hominem oportere proximum diligere, ut ei velit bonum spirituale in ordine ad vitam æternam, tum quia proximum sicut nosmetipsos diligere tenemur, Matth. 22. vers. 37. non vero in ordine ad æternam beatitudinem diligere debemus: tum etiam quia charitas virtus est; virtus autem propter operationem; ergo charitas erga proximum in actum exeat necesse est, actus vero charitatis est velle bonum proximo conforme ipsius naturæ, quæ diligitur; hujusmodi autem bonum, vel beatitudo est, vel ad beatitudinem conducentis: tum demum, quia charitate imitari Deum, & Christum tenemur, ut habetur Joann. 14. vers. 22. *Sic sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Deus vero nos dilexit actu interiori, & positivo ordinando nos ad beatitudinem, & media conferendo ad beatitudinem, & media conferendo ad beatitudinem consequentia, nos ergo interno actu proximum diligere debemus, optando illi æternam beatitudinem, & media procurando, quæ ad hæc proximum dirigant, atque perducant. Age vero: nomine proximi veniunt etiam inimici; hi enim creature rationales sunt, & æternæ beatitudinis capaces; & ne viderentur ab hoc præcepto exclusi, Christus Dominus ait, *Ego autem dico vobis, diligit inimicos vestros, benefacite his, qui odierunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos;* ergo in inimicos quoque charitatem exercere tenemur, & signa illa benevolentie præbere, quæ ab inimicitia, & peccato illos retrahant, & ad æternam felicitatem dirigere, & conducere valeant. Hæc vero palam faciunt, 1. Negari inimicis non posse communia benevolentie signa, si hæc negatio odium, & inimicitiam foveat; nam tunc ruina spiritualis occasionem præfert, & non solum non exhibet media ad æternam beatitudinem conferentia, sed retrahit hominem ab hoc bono, & ad perditionem ducit, licetque abstinere non possumus ab hac benevolentie demonstratione, vel metu aliquos injuriæ, vel timore aliquos boni temporarii facturæ, ut est manifestum, sed prudentia utendum est, quia ita benevolentie signa in inimicos exercere possumus, ut non solum hos ad injuriam, & ad damna inferenda non moveant, sed potius ad extinguendum odium, obtinendam benevolentiam, & sinceram reconciliationem conferant. 2. In Prælati, in Superioribus, in parentibus, ac in viris gravi auctoritate pollentibus omissionem communium benevolentie signorum, quæ correctionis, & emendationis causa fiat, esse potius exercitium charitatis. Nam charitatem ostendimus in iis, quæ homines à vitis retrahant, & peccatis, & ad veram ad Deum conversionem eodem moveant, & provocent: Hæc enim veluti media habentur ad æternam salutem conferentia; At in relictis &c. omissionis significationis peculiaris benevolentie, in iis, qui errant, ac peccaverunt, confert ad retrahendos homines à peccato commisso, & ad istius detestationem per veram conversionem eodem provocat: Si ergo prudenter illi fiat, tantum abest, ut dici queat negatio signorum charitatis, quin potius eam charitatis demonstrationem secum fert, quam exercere homines per correctionem debent. 3. Omittentes communia benevolentie signa correctionis causa, vel reprehendentes, & objurantes homines, qui vel in eos, vel in alios peccaverint, curare omni studio debent, ut ostendant abstinere ab illis signis, vel objurigationem adhibere, quia bonum, ac verum bonum peccantibus exoptant, hæc enim unice via charitatem exercent: atque hinc liquet, non nisi Improperie dici abstinere tunc homines à communibus charitatis signis: signa enim charitatis ei tantum sunt, quæ

BIBLIOTECA CENTRAL B.A.N.K.

nos velle proximo significant bonum spirituale in ordine ad beatitudinem; At vel ipsa omissio communium signorum id aliquando demonstrat &c. 4. Etsi abstinere licite possumus ab aspectu, & consortio inimici, ne odii in nobis augeatur, aut nova in inimico ira, peccandi occasionem præbeamus; tamen ne dolor ex ejus presentia in nobis augeatur, aut ne honor in nobis minuatur, abstinere à significatione charitatis non debemus; tum quia urget præceptum beneficiendi & diligendi inimicos; tum etiam quia charitativus aspectus, vel charitate conjunctum consortium apta sunt media ad inimicitiam tollendam, & procurandum bonum spirituale inimicis. Inimici enim vitæ nostræ, vel famæ aut fortunæ, non sunt exasperandi injuriis, sed emolliendi beneficiis, inquit R. P. Jacobus Besombes de Charitate c. 8. qui rem ita ostendit: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malo, ait Apostolus ad Rom. 12. vers. 21. Amor Dei, & Christi erga nos debet esse regula amoris nostri erga inimicos, eisque ista debemus; 1. Qui est læcessitus debet inimici conversationem & optare, & eam à Deo precibus postulare: optat enim Deus conversionem peccatoris: Vivo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat, Ezech. 33. v. 11. 12. Debet inimicum veniam petentem sponte, & benigne excipere, ut facit Christus, Joan. enim 6. vers. 7. ait: Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, & Matth. 18. vers. 22. alloquens Petrum, & nos omnes, inquit; Non dico tibi ut parcas usque septies, sed usque septuagies septies. 3. Debet per se, vel per alium offerre inimico reconciliationem, si speret futurum, ut id ad ejus conversionem inserviat: Id enim præstat Deus erga peccatores quos semper ad penitentiam hortatur & quibus etiam pertinacissimis gratiam offert: Ecce, inquit, sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum; Apoc. 3. vers. 20. & Prover. 18. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi. 4. Non potest negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, immo nec specialia, cum hinc nasceretur scandalum, vel obex poneretur, qui retardaret conversio inimici. Atque hinc vide, nunc rite Ferraris asserat num. 58. non teneri christianum hominem nec ad succurrendum quidem inimico in egestate posito, nec eundem obvium factum salutare? Vide etiam num ob temporarium incommodum, vel damnum, aut ob metum jacturæ honoris mundani, omittendum sit exercitium charitatis in proximo inimico; vel negari possit eidem reconciliatio? Hæc sane cum regula charitatis erga ipsos quoque inimicos usurpanda conciliari nullo modo possunt. Vide demum, num grave, aut gravius incommodum quod offensionem superet, causa sufficiens sit ad negandum inimico offenso reconciliationem externam. Hæc enim necessaria est ad removendum scandalum, ad placandam offensam iram, & ad odium ex injuria in læso homine excitato extinguendum, atque ad necessariam animi reconciliationem. Neque verum est, non teneri hominem ad veniam petendam à læso, si levis læsio fuerit. Nam si ob gravem læsionem sub gravi culpa, sic ob levem sub culpa veniali ad veniam petendam adstringi is, qui læserit, debet. Debeuerat Romanus Theologus videre, & adnotare, quod ego num. 58. dico, per se loquendo, & adnotare, quod ego num. 58. dico, per se loquendo, scilicet, specialia signa dilectionis per se loquendo non tenentur prestare inimicis ex præcepto Charitatis, sed solum ex consilio. Item tenebatur adnotare, quæ ego num. 59. immediate sequenti subjungo, nempe, dicitur autem notanter per se loquendo, quia ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua, vel beneficia specialia charitatis, quæ ibi numero, & signanter quando inimicus est in extrema, vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia charitatis sunt ei exhibenda juxta exigentiam necessitatis. Vide igitur prudens, & impartialis lector sub dictis numeris 55. 57. 58. & 59. & num. 68. ad 71. inclusive ibi tradita à me, & qua par est, æquitate & justitia pronunciet; Videatur ad rem S. Thomas 2. 2. quest. 25. art. 8. ubi sic expresse tradit: *Dilectio inimicorum tripliciter considerari potest: uno quidem modo, ut diligantur inimi-**

ci, in quantum sunt inimici, & hoc est pervertitur & charitati repugnant, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali, & sic dilectio inimicorum est de necessitate salutis, ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, & istud non est de necessitate dilectionis, seu charitatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile; Est tamen de necessitate charitatis secundum preparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret; sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc implet ut diligat inimicum propter Deum, hoc perinet ad perfectionem charitatis, & ibidem art. 9. inter alia subdit: *Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis, & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate præcepti, nisi secundum preparationem animi, ut scilicet subveniant eis in articulo necessitatis secundum illud Prover. 25. si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da illi potum.* 4. Justitia aliquando prudenter suadet inimico reo subtrahere communia signa dilectionis, seu Charitatis, ut sæpe sæpius experientia demonstrat in Parentibus, Prælati, ac Superioribus, qui filios, & subditos in se peccantes à communibus beneficiis, vel amoris indicis, licite immo & merito excludunt, correctionis gratia, ut sic errorem suum agnoscant, & emendentur, & de cetero caveant. Sic in dies videmus parentes, & consanguineos è suis domibus ejicere, nec ad aspectum, colloquium, convivium, aut consortium admittere velle filium, vel consanguineum, qui Matrimonium indignum contra eorum voluntatem contraxerit, aut aliàs crimine alienigenis infamie commisso familiam gravi dedecore affecerit; Et tales parentes, & consanguinei, si non ex animi odio, sed solum ob dicti filii, vel similis filie delinquentis correctionem, familiam honorem, ac aliorum majorem cautelam procurandam ad id procedant; Et non in perpetuum reconciliationem denegent, sed solum ad tempus differant, quousque videbitur expedire ad eorum punitionem, & emendationem, & alios bonos intentos fines consequendos, non peccant, nec sunt à Confessione, vel Parochiis absolute Sacramentali, & Sacra Communione privandi; Sic Layman theolog. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 4. Sporer tom. 1. tract. 2. in 1. præcept. decalog. cap. 6. sect. 2. num. 23. & alii. Rationabilis causa excusat plures ab obligatione præstandi inimico communia signa Charitatis. Vide not. antec. & signanter si Pater, vel Mater vitæ aspectum, & consortium occisoris proprii Filii, non ratione odii, sed ne dolorem renovet cum memoria occisi Filii; Item si quis sine gravi incommodo sui honoris non possit inimicum salutare; Item si quis prævideat inimicum exinde evasurum audaciorum, & sibi notabile damnum esse obvenerunt; Item si quis ob gravem receptam injuriosam infamiam præstando sic graviter injurianti, & offendenti communia signa Charitatis, & dilectionis, esset multis argumentis ipsam parvi aestimasse tam acerbam injuriam; Item si quis sit moraliter certus suum inimicum non esse resalutaturum, & consequensurum, & sic de aliis similibus. Specialia signa dilectionis per se loquendo non tenentur prestare inimicis ex præcepto Charitatis, sed solum ex consilio; Com. Unde non tenentur inimicos ægrotos invisere, mæstos consolari, egentibus succurrere, pecunias mutare, hospitio, vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, & hujusmodi; ut tradunt communiter Doctores. Dicitur autem notanter *Per se aliquando*, quia ob 59 varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua, vel beneficia specialia Charitatis; Et signanter *ob evitandum scandalum*, upote

si negando inimico signa dilectionis specialia, quæ antea quis ei exhibere solitus erat, majus in se hominis odium, vel inimicitiam concitet, vel alios id advertentes scandalizet: Item quando exhibitione hujusmodi signi, vel beneficii specialis Charitatis animum inimici sibi, ac principaliter Deo facilius reconciliandum quis sperat, vel aliàs salutem spirituales inimici proventuram: Item quando inimicus est in extrema, vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia Charitatis sunt ei exhibenda juxta exigentiam necessitatis, ut habetur Proverbior. cap. 25. & ad Romanos cap. 12. num. 20. ibi: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, pgrum da illi.* Item præstanda, & exhibenda sunt inimico specialia signa dilectionis, quando circumstantiæ sunt tales, ut eorum omissio sit clarum signum odii interni, & sic de aliis similibus. Quæ ex charitate diligenda sunt, non sunt omnia æqualiter diligenda, sed inter ipsa servandus est debitus ordo charitatis, juxta illud Cantica. 2. *Ornavit in me Charitatem;* Unde debet quisque primo diligere Deum super omnia. Secundo se ipsam secundum bona spiritualia. Tertio proximum secundum eadem bona spiritualia. Quarto seipsum quoad bona corporalia. Quinto proximum quoad eadem bona corporalia. Sexto se ipsum quoad bona temporalia externa. Et septimo proximum quoad eadem bona temporalia externa: Communis. Hinc post Deum tenetur quisque ceteris paribus magis diligere animam suam, quam animam proximi. Et ratio est clara, quia, ut dicit Scotus in 3. dist. 29. n. 11. Mensura est perfectior mensurato, sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi, ut patet ex Matthæi 22. ibi: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ergo, &c. Tenetur autem quisque magis diligere animam proximi, quam proprium corpus. Unde proximo versanti in extrema, & moraliter insuperabili necessitate spirituali, succurrendum est cum certo periculo propriæ vitæ: Dummodo adsit spes æque certa cum juveni, & nullo gravius damnum inde securitum timeatur: Communissima cum S. Augustino lib. 1. de doctrina christiana c. 27. S. Thomas 2. 2. quest. 26. art. 5. teste Sporer tom. 1. tract. 3. in 11. præcept. decalog. cap. 6. n. 125. Et hoc habetur ex verbis Christi Joan. 15. ibi: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Christus autem ita nos dilexit, ut tradiderit suum corpus pro animabus nostris: Tradidit semetipsum pro nobis ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. & ut docet Joan. Apostolus Epist. 1. cap. 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*, unde subjungit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hinc S. Augustinus lib. de Mendacio cap. 6. expresse dixit: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitavit Christianus amittere: Unde tenetur quis baptizare infantem, & absolvere peccatorem etiam periculo propriæ vitæ, si certo sciat non posse alia via salvari, & aliunde non imminere ipsi periculum damni proprii spiritualis.* Dicitur autem notanter: *Dummodo adsit spes æque certa cum juveni, & nullo gravius damnum inde securitum timeatur*; quia non tenetur quis succurrere in tali necessitate proximo, si spes nulla, vel incerta sit eum juveni, aut si aliud gravius damnum inde securitum timeatur, ut si tempore pestis, & persecutionis Infidelium, non adsit nisi unus Sacerdos, non tenetur ipse pro unius tantum salute vitam suam exponere cum sic periclitaretur salus totius Communitatis; Item si quis reperitur in peccato mortali, nec possit commode sibi procurare statum gratiæ, non tenetur pro tunc vitam suam exponere pro salute spirituali proximi, cum sic exponeret morti nedum suum corpus, sed etiam propriam animam, quum ex dictis supra num. 16. teneatur quisque magis diligere propriam, quam proximi animam. Meminisse hujus debet Auctor noster illius Christi sententiæ Jo. XV. 13. *Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quam recitat numero sequenti, & comperisset enim tunc statum peccati mortalis non ob stare, quin quis teneatur eo in statu exponere vitam propriam pro proximi spirituali necessitate, cum hujusmodi charitatis actus sit, ut

gratia recuperari queat, quem tamen comitari debet actus contritionis. Propriam vitam pro aliena vita exponere ordinarie non est licitum; S. Augustinus lib. de Mendacio ad Consentium c. 6. ubi sic ait: *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum, sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sane doctrina regulam excedit;* Layman loc. cit. cap. 3. num. 4. Sporer loc. cit. num. 132. dicens esse communem recentiorum contra Arragonium, Victoriam, Valentiam, Molinam, & alios citatos, & secutos à Lessio lib. 2. de Justitia cap. 9. dub. 6. num. 29. & seq. volentes licitum esse atque laudabile vitam suam corporalem exponere pro servanda vita corporali amici, quia honestas Virtutis amicitia majus bonum est, quam vita propria corporalis. Et ratio nostræ conclusionis est, quia, si Virtus Charitatis, & ordo recte dilectionis præcipit, ut propriam quisque vitam præferat aliene, sequitur nullam virtutis, & honestatis laudem esse propriam vitam exponere pro aliena servanda. Fateor tamen, contrariam opinionem esse vere probabilem, cui favet illud Christi Joan. 15. *Majorem hæc dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* Layman loc. cit. cum pluribus aliis ibi allegatis. Dicitur autem notanter *Ordinarie id licitum non esse* quia pro salute personæ publicæ, ex qua multum dependet bonum commune, sicut pro bono communi totius Reipublicæ, & multo magis pro Fide, & Religione Catholica vitam propriam exponere, non solum licitum & laudabile est, sed interdum est etiam necessarium: Sic communis Doctor. Et ratio est, quia bonum commune prævalet, & præferendum est bono particulari. Unde sicuti in naturalibus pars una corporis periculo se exponit pro servando toto corpore, ita & in politicis particulari Reipublicæ membrum pro servanda tota Reipublica. Item licitum est, ac meritorium vitam propriam exponere pro vita corporali proximi, si ejus morti annexa esset mors spiritualis animæ, ut ad impediendam æternam damnationem injusti aggressoris, cum illum occidere jure possit injuste aggressus, ut aliter se defendere nequeat, potius permittere, ac tolerare mortem propriam corporalem est opus maxime Charitatis, & summe meritorium. Inter proximos magis diligendi, & prius subveniendi sunt, qui nobis magis conjuncti sunt juxta triplicem conjunctionem, spirituales, carnalem, & moralem seu Civilem; Com. & clare habetur ex Apostolo ad Galatas 6. ibi: *Operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos Fidei, & t. ad Timoth. c. 5. ibi: Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, Fidem negavit, & est infideli deterior:* Unde qui magis nobis conjuncti sunt conjunctione spirituali, præferendi sunt in bonis spiritualibus: Qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione carnali, præferendi sunt in bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporis: Qui nobis magis conjuncti sunt conjunctione morali, seu civili, præferendi sunt in rebus pertinentibus ad civilem communicationem, & sic concives præferendi sunt in his rebus aliis extraneis, & in rebus bellicis præferendi sunt commilitones, & sic de similibus. Quinam ordo servandus sit in necessitate extrema gravi, & communi? Vide verb. Necessitas. Qui ex inimicitia alium offendit, vel læsit exterius signo, verbo, vel factu, tenetur ex Charitate ad reconciliationem externam, petendo ab offenso, vel læso quantum commode potest per se, vel per alium signo, verbo, vel factu veniam, & remissionem offensæ: Communis. Et ratio est clara, quia qua ratione, & forma Charitas est destructa, eadem reparari debet. Et sicut offensor non tenebatur ponere offensam, ita tenetur eam tollere. Insuper tenetur ex Justitia etiam ad satisfactionem injuriæ, & ad restitutionem damni illati, nisi offensus, & læsus gratis remittat. Dicitur autem notanter, *Quantum commode potest*, quia nemo tenetur ad hanc externam reconciliationem cum inimico offenso cum gravi, vel graviori suo incommodo, quam fuerit offensus, vel læsus illata proximo

BIBLIOTECA CENTRAL

uti esset gravis infamia, si offensio, & laesio hostilis fuerit occulta: Vel si offensio, & laesio sit absens, nec facile conveniri possit, & huiusmodi.

70 Veniam petere ab inimico laeso, vel offensus tunc solum necesse est sub gravi, quando gravis fuit offensio, vel laesio, & aliud remedium, seu modus non occurrit ad reconciliationem: *Communis*.

71 Unde non est obligatio petendi veniam: 1. Si injuria, vel laesio non fuerit gravis; 2. si aliter satisfieri potest offensio, vel laesio, v. gr. per pecuniam, per specialia signa, & officia amicitiae, per aliqua particularia beneficia, aut per aliorum intercessionem; 3. si offensio, vel laesio petitionem veniae non curat, vel censetur remittere; 4. si injuria & offensio inter inimicos facta invicem se compensant; 5. si offensio, vel laesio per petitionem veniae sibi ab offensore factam sit magis irritanda; 6. si laedens, vel offensus sit longe Superior offensus, ut non conveniat ad subditum, & longe inferiori veniam petere propter diminutionem auctoritatis, & superioritatis; tenetur tamen alii beneficiis, sigais, & argumentis subditi laesi animam reconciliare; 7. si apud aliquos v. gr. nobiles viros veniae petitio in usu non sit, sed aliter fieri soleat reconciliatio: *Sic Doctores passim*.

72 Et duobus mutuo se offendentibus, vel inimicis factis, si injuria, seu offensio fuerint aequales, reconciliationem petere, & procurare salutando, alloquendo, aut si opus fuerit, veniam petendo, tenetur prius qui prior offendit, vel prior causa rixa extitit: Si autem injuria, vel offensio fuerint inaequales, tunc tenetur qui gravius offendit, quamvis posterior: Et si contingat injurias censi moraliter ita pares, & simultaneas, ut omnibus consideratis, non appareat, cur unus non potius, quam alter debeat esse prior in venia petenda; tunc uterque tenebitur; data occasione, inchoare reconciliationem, salutationem, alloquium, &c. nisi consuetudo, vel mos patriae esset, ut unus potius, quam alter deberet praevire: Unde generaliter loquendo inter aequales, is debet prius salutare, & alloqui, qui coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit: *Sic Doctores communiter*.

73 Omnis offensio, vel laesio tenetur offensori veniam petenti vere, & sincere, injuriam, & offensam remittere, salva tamen Justitia, & Jure suo: *Communis*, & habetur clare ex pluribus Evangelicis textibus: *Lucae* enim c. 17. n. 3. & 4. praecipit Christus: *Sic peccaverit in te frater tuus, & penitentiam egerit, dimitte illi* & si septies in die peccaverit in te, & septies in die contritus fuerit ad te, dicens pariter me, dimitte illi. Et *Marci* cap. 11. num. 26. expresse dicit: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra*, & id ipsum dicit *Matth.* c. 6. n. 14. ibi: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, & *Matth.* cap. 18. num. 35. narrata parabola de servo nequam, & crudeli damnato ad carceres, ex quo noluerit dimittere debitum conservo suo, concludit: *Sic & Pater meus Caesars faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*.

74 Dicitur autem notanter: *Salva tamen Justitia, & Jure suo*, quia non obstante, quod offensio, vel laesio teneatur vere, & sincere injuriam, vel offensam offensori veniam petenti remittere, potest tamen adhuc per viam Juris petere ab ipso debitam satisfactionem, & recompensationem pro injuria, & damno sibi illato, ut tradunt communiter Doctores: *Vide verb. Pax*.

75 Nulla opera hominis sunt Deo grata, & meritoria nisi prius, antequam ea faciat, se proximo suo reconciliaverit: *Communis*, per expressum textum *Matthaei* cap. 5. num. 23. ubi Christus Dominus sic expresse dicit: *Si offers manus tuam ad altare (intellige etiam de omni alio opere bono Deo grato, & meritorio) & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi manus ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres manus tuam*. Quod sic egregie exponit Sanctus Augustinus *serm. de verbis Domini in monte Matthaei* 5. ibi: *Si absens est frater tuus,*

vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosternas in conspectu ejus, cui oblaturus es, si praesens, revocandus est ad amorem ab eo veniam petendo, si cum laesio, vel si te laesit, dimittendo cordis rancorem.

Virtuti Charitatis opponitur directe vitium odii Dei, aut proximi, & de hoc vide *verb. Odium per tot.* ubi insuper afferuntur tres propositiones damnatae ad rem facientes.

Item Charitati opponantur plura alia vitia, ut *Acedia, Invidia, Ira, Scandalum, Schisma, Bellum, Discordia, Contentio, Rixa, Seditio*.

Quoad Acediam: *Vide verb. Acedia per tot.*

Quoad Invidiam: *Vide verb. Invidia per tot.* ubi etiam de tribus Invidiae affectionibus Charitati oppositis, nempe de *Indignatione, Nemesi, de Zelotia, seu Emulatione, & Timore*, ac de aliis ad rem facientibus.

Quoad iram: *Vide verb. Ira per tot.* ubi etiam de *Indignatione, Rixa, Contumelia*, ac de aliis ad rem facientibus.

Quoad Scandalum: *Vide verb. Scandalum per tot.*

Quoad Schisma: *Vide verb. Schisma per tot.*

Quoad Bellum: *Vide verb. Bellum per tot.*

Discordia est dissensio voluntatum circa bonum quod ex Charitate amare debemus. Unde opponitur Charitati, quae necessario causat concordiam, consensionem, & pacem voluntatum in bonum.

Contentio est altercatio quedam verborum cum proximo ad impugnamdam veritatem, quam ipse sustinet, & haec opponitur Paci, & Charitati, quae tenemur cum proximo consentire in bonis ipsi necessariis, non impugnamdo contentiose veritatem in rebus ad salutem ejus animae, vel corporis, ad ejus famam, vel fortunam pertinentibus.

Rixa est privatum quoddam bellum inter personas ex odio resultans. Unde opponitur Charitati, qui ut dicitur *Proverb. 10. num. 12. Odium suscitavit rixam, & inversa delicta operis Charitatis*. Per Rixam, inquit, S. Thomas 2. 2. *quast. 158. art. 2. In corpore, intelliguntur omnia nocentia, quae facto proximo inferuntur ex ira, adeoque pugnae, duellum, seditio, vulnus, caedes, & huiusmodi.*

Seditio est quedam dissensio inter cives ab his duobus vocabulis *Seorsim, & Iria* derivata, quia aliqui cives seditiosi in dissensione dicuntur seorsim ire: Hoc vitium opponitur paci politicae, & est ex suo genere peccatum grave ex parte commoventis seditioem, sicut rixa ex parte rixantis, non vero ex parte illius, qui inagraditur.

Virtutes Cardinales quatuor communiter assignantur, scilicet *Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo*, de quibus legitur *Sapient. 3. num. 7. Sobrietatem enim, & Prudentiam docet, & Justitiam, & Virtutem quibus utilis nihil est in vita hominibus, ubi per Sobrietatem Temperantiam, & per Virtutem Fortitudinem intelligitur communiter a Doctores*: Unde S. Ambrosius in *cap. 6. Evangelii S. Lucae* sic expresse habet: *Scimus quatuor describuntur a multis, & in Scriptura invenitur. Prudentia dicitur, quae dignoscimus inter bonum, & malum: Justitia dicitur, quae sua cuique tribuimus, nemini quidquam debentur, sed omnes diligentes: Temperantia dicitur, quae libidines refranamus: Fortitudo dicitur, quae omnia molesta toleramus.*

Dicitur quatuor Virtutes Cardinales, nuncupantur, quia sunt tanquam aliarum moralium virtutum fontes & Cardines, quibus subnixae tota humana vita regitur: Sicut enim ostium in cardine, ita omnis honestae vitae ratio in illis versatur, atque universa boni operis structura eisdem innititur: Unde S. Gregorius *lib. 2. Moral. cap. 36. In quatuor virtutibus totam bonam operis structuram consurgere testatur.*

Ceterae morales virtutes respectu virtutum cardinalium in triplici differentia sunt positae. Aliae enim virtuti cardinali tanquam species, in quas dividitur, subjiciantur, & ideo partes subjectivae virtutis cardinalis appellantur. Aliae, sine quibus virtus cardinalis integra, & perfecta esse non potest, eo quod ad perfectionem ejus

ejus actus concurrant, partes illius potentanter, seu integrantes vocantur. Aliae denique instat potentiarum seu facultatum ipsis virtutibus cardinalibus subserviunt, & earum partes potentales nuncupantur.

Omnes virtutes morales, sive cardinales, sive eis adjunctae, sunt ita inter se connectae, ut nulla prorsus absque ceterarum comitatu obtineri possit in statu perfecto & heroico: Et ratio est, quia virtus perfecta est constans & firmus ordinis amori, quo quis id, quod rectum est, & rationi consentaneum in quavis materia prosequitur; talis autem amor constans, firmus, & habitualis omnes plane virtutes includit, cum nequeat quis, v. gr. esse perfecte Justus, si careat Fortitudine, vel Temperantia, vel Liberalitate, id est, si careat amore ordinis, vel in materia Fortitudinis, vel in materia Temperantiae, vel in materia Liberalitatis. Quippe Juxta timidus nimis terretur, intemperans voluptatibus tentatur, avarus pecunia corrupti potest, ne jus perfecte, ac recte reddat. Sic Fortitudinem, Temperantiam, &c. sine ceteris aliis virtutibus nemo in statu perfecto, & heroico obtinere potest: Unde S. Augustinus *Epist. 167. aliis 29. num. 4. aliis c. 2. sic habet: "Certe hinc persuadetur, qui unam virtutem habuerint, habere omnes, & omnes deesse, nec una defuerit, quod Prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse, nam si aliquid horum defuerit, Prudentia nec erit. Porro si Prudentia tunc erit, si & Fortis, & Justa, & Temperans sit, profecto ubi fuerit secum habet ceteras. Sic & Fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta. Sic Temperantia necesse est, ut Prudens, Fortis, & Justa sit. Sic Justitia non est, nisi sit Prudens, Fortis, & Temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, & alia similiter sunt: Ubi autem aliae desunt, vera illa non est, etiam si aliquo modo similis esse videatur."*

Quamvis autem nulla virtus moralis possit sine ceteris aliis obtineri in statu perfecto, seu heroico, qui scilicet virtutis culmen attingit, & quo ita sedati sunt affectuum motus, ac ita fracti, ut virtutem commovere amplius non possint, potest tamen una sine ceteris aliis esse in statu imperfecto, in quo quis affectuum motibus agitur, & illis aegre solum resistit, ut tradunt communiter Doctores.

Virtus moralis proprie sumpta est habitualis amor ordinis, sive est amor firmus, & constans honestae mediocritatis per rectam rationem in qualibet materia definita, id est, habitus inclinans ad id agendum, quod justa in mediocritate sit positum est, ut neque rationis, aut ordinis modum excedat, neque ab eo deficiat in qualibet materia. Unde communiter dicitur, quod *Virtus in medio consistit*, id est, in medio rationis, non autem in medio rei.

Mediocritas enim, seu medium est duplex, scilicet medium rei, & medium rationis. *Medium rei* ex Aristotele *1. 2. Ethic. c. 5. est illud, quod ab extremis aequaliter distat*, estque ubique & semper idem: Ut 6. medium est inter 10. & 2. nam senarius numerus alii binario, & denario aequaliter distat, nempe quatuor unitatibus, & hoc medium vocatur ab Aristotele *Aritmeticum* & hoc habet Justitia commutativa, nempe reddere praecise cuiusque, quod suum est, sive statuere, vel conservare aequalitatem rei ad rem. *Medium rationis*, seu *Geometricum* est illud quod a ratione praescribitur, & quo statuitur, quid, quo tempore, & quibus circumstantiis agendum sit. Unde, ut vides, *Medium rei* est ex natura rei ita taxatum, ut in omnibus sit omnino idem. *Medium vero rationis* non est ita determinatum, sed variatur ex diversis conditionibus, & circumstantiis Personarum operantium. Ita tamen ut semper in mediocritate consistat; nam si quis ab ea mediocritate, vel excedendo, vel deficiendo recesserit, in vitium morale incidit: Cum vitium morale sit habitus malus inclinans ad actus malos, id est, ad actus a recta ratione, seu ordinatione per excessum, aut per defectum aberrantes, qui actus peccata vocantur: *Vide supra a num. 11. ad num. 15.*

Unde deveniendo ad virtutes cardinales seorsim captas, Prudentia definitur ab Aristotele *lib. 6. Ethic. c. 5. Habitus vera cum ratione aditus in iis, quae sunt homini bona, vel mala moraliter*, id est, habitus, quo non tantum

quid agendum sit, & ad quod abstinendum cognoscimus, sed etiam quo constanter amamus id agere, & agimus quod agendum est, & ab eo a quo est abstinendum, abstinemus, quia id Ordo postulat. Et secundum Sanctum Basilium *homil. 12. ad populum. Prudentia est recta eorum, quae agenda, vel non agenda sunt, cognitio*. Et in definitur communiter, *Prudentia est recta agendorum ratio*, seu est virtus, quae in quovis occurrente negotio noscimus quid honestum sit, qui turpe, seu quid agendum, ut honestum, & quid fugiendum, ut inhonestum, ab 26.

Prudentia, quamvis essentialiter non sit virtus moralis, sed intellectualis, est tamen directiva, & Regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest: Unde S. Bernardus *serm. 40. super Cantica*. dicit: *Tolle discretionem (Prudentiam) & virtus vitium erit*. *3. cap. Praesentium 31. caus. 1. q. 5. expresse dicitur, quod Prudentia, sive discretio mater est omnium virtutum*. Et id ipsum habetur in c. Custos *1. de officio Custodis*, ibi: *Omnia cum discretionem agantur, quae noverunt omnium virtutum esse matrem, juncta Glossa ibid. verb. Cum discretionem expresse dicitur: Discretio enim mater est omnium Virtutum*.

Partes integrantes, sive integrales Prudentiae octo enumerantur a S. Thoma 2. 2. *q. 48. art. unic.* easque desumpsit partim ex Aristotele *lib. 6. Ethic. cap. 12. 3. seq. partim ex Macrobio lib. 1. in rom. Scip. cap. 8. & ex S. Augustino lib. 83. qq. 9. 31. & sunt sequentes: Memoria, Intelligentia, Providentia, Ratio, Docilitas, Solertia, Circumspectio, & Cautio.*

Ad perfectam igitur Prudentiam necessaria est Memoria, id est, praeteritorum rerum recordatio, & ex qua nascitur experientia optima rerum magistra: Item Intelligentia, seu intellectio, id est, praesentium notitia, & primorum principiorum practico-rum cognitio: Item Providentia, id est, futurorum praecientia respiciens futura hinc, & nunc, maxime ad prudentibus consideranda: Item Ratio, id est, promptitudo, & facilitas ratiocinandi, & unum ex alio colligendi: Item Docilitas, seu prompta facilitas ad discendum ab aliis prudentibus, & expertis: Item Solertia, seu sagacitas, id est, facilis excogitatio, & applicatio mediorum ad finem conducendum: Item Circumspectio, id est, attentio ad recte expendendas omnes circumstantias actionis moralis consideratio: Item Cautio, id est, cura, & sollicitudo omnia evitandi incommoda, & cavendi, ne sub specie boni voluntas applicetur malis.

Partes subjectivae, seu species Prudentiae sunt quinque, scilicet *Monastica, Oeconomica, Politica, Legislativa, & Militaris*, S. Thomas 2. 2. *quast. 84. art. unic.* & alii passim.

Prudentia Monastica, & Personalis, seu solitaria, & sui moderatrix, est illa, quae dicitur quo pacto quis prudenter se gerere debeat circa seipsum. Prudentia Oeconomica est, quae dicitur modum recte gubernandi Familiam. Prudentia Politica, seu Civilis est, quae dicitur modum recte administrandi Republicam, Legumque observantiam procurandi: haec enim respicit bonum commune totius Republicae, seu Civitatis, sicuti Oeconomica bonum solius familiae, & Monastica bonum solius sui ipsius. Prudentia Legislativa, seu Regalis est, quae instruit suprema Capita Regnum, & Provinciarum ad idoneas condendas leges, earumque procurandam observantiam circa bonum totius Regni, seu Principatus publicum regimen. Prudentia Militaris est, quae praescribit normam recte militandi.

Partes Potentiales Prudentiae tres communiter assignantur cum S. Thoma 2. 2. *q. 51. & Aristotele lib. 6. Ethic. cap. 10. 3. seq. nempe Eubulia, Synesis, & Gnome*. Tria enim sunt munia ipsius Prudentiae, ut post Aristotelem, & S. Thomam locis citatis notant passim Doctores, nempe bene consulere, recte judicare, & quod judicatum, seu decretum est ad proximum reducere. Unde Eubulia (latine bona consultatio) est habitus facilitans ad recte consultanda, & excogitanda media apta pro consecutione finis. Synesis (quod latine est sensare discernere) est habitus disponens ad ferendum rectum iudicium de particularibus operabilibus consultatis lege commune definitis. Gnome (latine sententia pronuntia-

tum, aut imperium) est habitus disponens ad terminandum, seu jubendum recte executioni esse tradendum id, quod bene consultatum, & iudicatum est.

104 Vita Prudentia opposita per defectum, id est, per Prudentiam carentiam, quatuor potissimum recenseri solent ex D. Thoma in 2. 2. q. 53. & 54. & sunt Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia.

105 Præcipitatio est vitium, quo quis opus aliquod statim præcipitauerit, non præmissa sufficienti consultatione, & deliberatione, aggreditur. Sicque opponitur Eubulia, seu bonæ consultationi. Inconsideratio est vitium, quo temere iudicatur, & concluditur de ipso opere exequenti, non præmissa debita attentione, & diligenti rerum, ac circumstantiarum inspectione: Sicque opponitur Synesis, seu bono, ac sensato iudicio. Inconstantia est vitium, quo quis de rebus jam semel deliberatis ac recte iudicatis sine ulla, vel certe sine sufficienti causa iudicium, & sententiam mutat: Sicque opponitur Gnomini, seu sententiae, aut pronuntiationi, seu iudicio. Negligentia est vitium, quo quis omittit requisitam diligentiam, & sollicitudinem ad opportune exequentium illud opus, quod consultatum, & iudicatum est, esse faciendum: Sicque etiam opponitur Gnomini, seu pronuntiationi, aut iudicio: Nam & priusquam incipias, consulto, & ubi consuleris, mature factu opus est, inquit Sallustius in *Bello Catilinario* cap. 1.

106 Vita Prudentia opposita per excessum quinque præsertim assignantur, nempe Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Fraus, & nimia Sollicitudo temporalium: Sic Doctores communiter.

107 Prudentia carnis ea dicitur, qua quis studiosius excogitat media, & sua facta dirigit ad naturæ corruptæ, seu carnis desideria complenda, de qua Apostolus ad Rom. 8. dicit: Prudentia carnis mors est, & infra: Sapientia carnis inimica est Deo. Astutia, seu Calliditas aut Verutia est excogitatio meliorum, seu rationum persersarum ad fallendum, seu decipiendum proximum maxime conducentium, de qua Apostolus 2. ad Corint. 4. Non ambulantes in Astutia. Dolus est ipsius Astutia executio, tum per verba, tum per facta, & definitur, quod sit machinatio ad circumveniendum, decipiendum, aut fallendum proximum adhibita. Fraus est executio Astutia per facta, ut cum mensura est minor iusto, vel cum moneta est adulterina, & huiusmodi, adeoque Fraus est quid minus commune, quam Dolus. Nimia Sollicitudo temporalium est nimia mentis occupatio in conquiritendis, & conservandis rebus temporalibus, proveniens ex immoderato habendi amore, & amittendi timore, quæ reprobatur *Matthæi* 6. *Luca* 12. & 1. ad *Timoth.* 6.

108 Iustitia est constans, & perpetua voluntas Jus suum unicuique tribuendi: Communis, cum Ulpiano in l. Iustitia, ff. de Iustitia, & Jure. Jus autem est id, quod iustum, & æquum est, sive quod inter extrema vitiosa est medium.

109 Partes subjectivæ, seu species Iustitiæ sunt duæ, scilicet Iustitia distributiva, & Iustitia commutativa: Communis ex Aristotele 5. *Ethic.* c. 2. Quænam autem sit Iustitia distributiva, & commutativa? Vide verb. Iustitia num. 51. & 52. ubi etiam de differentia inter utramque.

110 Utraque Iustitia æqualitatem, seu proportionem quandam servat, cum hac tamen advertentia, quod in Iustitia distributiva servatur proportio Geometrica, & hæc proportio Geometrica servat medium rationis, seu Geometricum. In Iustitia autem commutativa servatur proportio Arithmetica, & hæc proportio Arithmetica servat medium rei, seu Arithmeticum. Quodam autem sit medium rei, seu Arithmeticum, & quod sit medium rationis, seu Geometricum? Vide supra n. 93. & verb. Iustitia num. 52. ubi de æqualitate Arithmetica, & Geometrica.

111 Si quis medium rationis in Iustitia distributiva, vel medium rei in Iustitia commutativa non servet, tunc Jus ipsum lædit, & Legem, qua Jus illud constituitur, violat: Sic Doctores communiter.

112 Partes integrantes, seu integrales Iustitiæ ex S. Thoma 2. 2. q. 79. art. 1. duæ sunt, nempe declinare à ma-

lo, & facere bonum, quoniam istæ ad perfectum Iustitiæ actum requiruntur: Cum enim ceteræ virtutes homines in se, & propter se perficiant: Iustitia autem sit ad alterum, ut ait idem S. Thomas 2. 2. q. 58. art. 2. peculiariter modo ad Iustitiam pertinet, ut illa, dum cuiusque Jus constituit, à malo declinet, & faciat bonum.

Partes potentiales Iustitiæ, quibus veluti facultatibus, aut organis actus suos Iustitia exercet, octo enumerantur à S. Thoma 2. 2. q. 80. art. 1. nempe Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gravia, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia, quibus additur Affabilitas, & istæ fere omnes assignantur etiam à Cicerone lib. 2. de *Inventione*.

Religio est virtus moralis inclinans ad debitum cultum Deo tamquam primo rerum Principio in agnitionem supremæ ipsius potestatis, & excellentiæ exhibendum. Et hic cultus exhibetur Deo, tum interior, devotione scilicet, & oratione, tum exterior, adoratione scilicet, sacrificio, voto, &c. Pietas est virtus, qua debitum honorem, officium, ac obsequium deferimus iis, qui post Deum sunt præcipui nostre vitæ, & educationis Auctores, uti sunt parentes, & alii consanguinei, ac patria, quorum meritis paria referre non possumus. Sumitur etiam Pietas apud Christianos pro devotione, id est, pro fervore actus circa ea, quæ sunt cultus divini. Observantia est virtus, qua debitum honorem, officium, ac obsequium deferimus Superioribus nostris, ac Majoribus ætate, sapientia, ac dignitate. Ad hæc reducitur Obedientia, quæ quatenus est specialis virtus, ideo aliquid facit, quia præceptum est. Veritas, seu Veracitas est virtus moralis, qua nos proximis tales dicis, & factis exhibemus, quales reipsa sumus, nihil enuntiando, aut fingendo aliter, quam sit, vel fuerit, vel futurum sit. Gravia, seu Gravitudo est virtus, quæ respicit debitum ex beneficio natum. Unde inclinatur ad beneficium beneficio compensandum, extenditque se ad omnes, à quibus aliquid beneficium accepimus, ut ad Deum, parentes, superiores, & homines privatos. Vindicatio est virtus, per quam vim, & contumeliam defendendo, aut vicissendo propulsamus à nobis, & ab aliis, & per quam peccata punimus: Quæ tamen non est licita, nisi iis, qui aliis præsumunt ad Iustitiæ conservationem. Liberalitas est virtus, quæ circa pecunias dandas, & accipiendas mediocritatem tuetur, & consequenter inclinatur ad eas elargiendas, & condonandas secundum rectam rationem. Amicitia est virtus, qua aliqui mutam, æperamque inter se benevolentiam gerunt, sequè invicem bonis afficiunt honestatis gratia, & non solum iucunditatis, aut utilitatis causa. Affabilitas est virtus, qua quis in conviviis, & vitæ consuetudine facilis, & gratum se, ut decet, exhibere studet.

Vita opposita virtuti Iustitiæ generatim sunt omnes iniustitiæ, quibus violatur tum Iustitia distributiva, tum Iustitia commutativa, tam per excessum, quam per defectum. Et quidem violatur Iustitia distributiva per excessum, cum Princeps, v. gr. seu Superior tenui cuidam, & modice virtutis viro plus gloriæ, vel honoris, aut mercedis tribuat, quam deceat. Per defectum autem, si minus tribuat, quam deceat viro eximie virtutis, & meriti. Item violatur Iustitia commutativa per excessum, cum v. gr. carius aliquid emitur, & venditur, vel cum in mutuo præter sortem principalem aliquid datur, aut accipitur: Per defectum vero, si minus solvatur, vel reddatur, quam emptum, aut mutuo acceptum fuerit.

Et ita pariformiter descendendo ad partes potentiales virtutis Iustitiæ in specie opponitur ipsis sua specifica vitia, nempe Religioni Irreligiositas, & Superstitio. Pietati Impietas, Observantia, ac Obedientiæ inobservantia, ac inobediencia. Veritati Mendacium. Gravia, seu Gravitudini Ingratitudo. Vindicationi nimia Clementia, seu indiscreta Lenitas. Liberalitati Avaritia, & Prodigalitas. Amicitia inimicitia. Affabilitati Adulatio per excessum, & Morositas, seu Asperitas per defectum.

Fortitudo ex Aristotele lib. 3. *Ethic.* cap. 9. est Mediocritas inter Audaciam, & Timorem constituta: Unde recte definitur, quod sit virtus moderatæ audaciæ, & timoris in periculis, ubi, & quando ratio præcipit adven-

dis, aut adversis rebus sustinendis: Ita in re Communis.

Ex qua definitione, ut vides, duo sunt actus præcipui Fortitudinis, nempe Aggredi, seu pericula adire, & Sustinere, seu res quaslibet adversas constanter tolerare, cum ad honestum, ac conveniens ex recta ratione videatur. Unde Fortitudo velut in duas secatur partes subjectivas, nempe in Magnanimitatem, & Patientiam. Magnanimitas est virtus ad omne arduum aggrediendum ex motivo propriæ honestatis inclinans. Patientia est virtus, quæ in adversis rebus ex præscripto rectæ rationis animi mororem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat.

Partes fortitudinis integrantes, quæ & potentiales quoque appellari possunt, sunt præsertim Fiducia, Magnificentia, & Perseverantia. Fiducia, seu Confidentia est virtus, qua quis rationabiliter confidit posse se arduissima, ac difficillima, ubi, & quando docet, aggredi, seu tolerare. Magnificentia est virtus reddens hominem promptum ad faciendos magnos sumptus, ubi, & quando recta ratio id expedire iudicat, continetque in se pecunie contemptum, seu vilipensionem. Perseverantia, seu Constantia est virtus, per quam, non obstante temporis diuturnitate, rerum, ac circumstantiarum difficultate, ac molestia, homo persistit in bono opere, quantum recta ratio dicitur.

Vitia opposita Fortitudini sunt Temeritas, seu Audacia, & Timiditas, seu Ignavia. Temeritas quidem seu Audacia per excessum, Timiditas autem seu Ignavia per defectum. Temeritas, seu Audacia est vitium, quo per excessum Fiduciæ quis aggreditur pericula quando, ubi & quomodo secundum rectam rationem non oportet. Timiditas, seu Ignavia è contra est vitium, quo per defectum Fiduciæ quis nihil audent ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere secundum rectam rationem oportet.

Magnanimitati opponitur per excessum Præsumptio, qua homo ex nimia virium confidentia aggreditur quod est supra vires, Ambitio, quæ consistit in nimia honoris appetentia: Per defectum autem opponitur ei Pusillanimitas, quæ consistit in fuga magnorum operum ex eo, quod quis nimis facile existimet se imparè esse talibus operibus. Patientiæ opponitur per excessum Impatientia, qua quis iustum dolendi modum, quem Patientia præscribit, excedit: Per defectum autem ei opponitur Insensibilitas, qua quis nec suis, nec proximorum malis tangitur.

Fiduciæ, seu Confidentia opponitur per excessum Audacia, seu Temeritas, ac Præsumptio, & per defectum Timiditas, seu Ignavia, ac Pusillanimitas, uti dictum est supra num. 123. & 124. de vitis oppositis ipsi Fortitudini, & num. 125. de vitis oppositis Magnanimitati. Magnificentia opponitur per excessum Profusio pecunie, qua quis nimium auget sumptus, & longe majores facit expensas, quam ratio dicitur, & per defectum opponitur ei Parsivocentia, qua quis ex animi angustia magno cepto operi, v. G. Magno palatio, Magnificæ Ecclesiæ, non pares, seu decentes exhibet sumptus. Perseverantiæ, seu Constantiæ opponitur per excessum Peritacia, qua aliquis in opere incepto continuare vult quando, & ubi non oportet, vel plusquam oportet: Per defectum autem ei opponitur Mollities animi, seu Inconstantia, qua quis facilius, & sine rationabili causa à bono incepto absistit.

Temperantia est virtus refrænans, ac moderans inordinatos appetitus, & concupiscentias, ac voluptates corporis, quibus præsertim gustus, & tactus afficitur circa esculentia, poculenta, & venerea: Sic in re Communis.

Partes subjectivæ, seu species Temperantiæ proprie acceptæ sunt Abstergentia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia. Abstergentia est virtus moderans cupiditates, & delectationes esculentorum. Sobrietas est virtus moderans cupiditates poculentorum, seu potus inebriare valentis. Castitas est virtus moderans inordinatum appetitum, usumque venereorum. Et hæc triplex est, nempe Virginalis, Vidualis, & Conjugalis. Pudicitia est virtus moderans appetitum circa aspectus, oscula, tactus, & similes actus impudicos, ac venereos prævios ad actum principalem, & dicitur Pudicitia, quatenus pudori, qui in usu illorum intervenire solet, conformis existit: Pudor

enim est perturbatio animi de iis, quæ dedecus inferre videntur.

Partes potentiales Temperantiæ sunt Continentia, Humilitas, Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Eustrapelia, seu Urbanitas. Continentia est virtus, quæ continet hominem à rebus venereis, seu concupiscentiæ motibus ad intemperantiam provocantibus resistit. Humilitas est virtus, quæ hominem ad sui vilitatem ingenue porfitendam inclinatur, ac temperat ejus inordinatum appetitum tendendi ad excelsa. Mansuetudo est virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. Clementia est virtus, quæ moderatur externam vindictam, & punitionem, quantum ratio Iustitiæ patitur. Studiositas est virtus, quæ inordinatam sciendi cupiditatem temperat, ac intra legitimos fines cohibet. Modestia est virtus, quæ intra limites sui status, ac conditionis debito modo se continet, tum in verbis, tum in factis, tum in vestibus, suppellectilibus, ac conviviis. Eustrapelia, seu Urbanitas est virtus, quæ in recreationibus, ludis, ac jocis honestis, atque ad animi, & corporis refocillationem susceptis rectum rationis moderamen servat.

Partes integrales, seu integrantes Temperantiæ sunt Verecundia, & Honestas. Verecundia sumpta, prout ad præsens spectat, pro habitu, seu actu virtuoso, est virtus à turpibus & inhonestis cupiditatibus retrahens. Honestas est virtus averrens operantem ab inhonestis voluptatibus, in escis, potibus, & veneri inservientibus, & inclinans ad decorem, in absentia earum refulcentem: Honestum enim, & Decorum hoc loco idem significant. Quo sensu elegantur ait Tullius lib. 1. de Offic. Et quod decet, honestum est, & quod honestum est, decet.

Vitia opposita Temperantiæ sunt Stupor, & Intemperantia. Stupor quidem per defectum: Intemperantia autem per excessum Stupor, seu Insensibilitas est vitium quo delectationes corporis etiam ad naturæ conservationem divinitus ordinatæ contra rationem prætermittuntur; seu est vitium, quo quis fugit honores, & voluptates, ut nolit eis uti quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet. Intemperantia est vitium, quo quis in appetendis honoribus, & voluptatibus excedit omnino dictamen rectæ rationis.

Sic pariformiter aliis Temperantiæ partibus opponuntur sua specialia vitia per excessum nempe Abstergentiæ Gula, seu Crapula, & Comestatio. Sobrietati Gula item, & Ebrietas. Castitati Luxuria, Pudicitia Impudicitia. Continentiæ Incontinentia. Humilitati Superbia. Mansuetudini Iracundia. Clementiæ Crudelitas. Studiositati Curiositas. Modestiam Inmodestia. Eustrapeliæ, seu Urbanitati Scurrilitas, seu Inurbanitas. Verecundiæ Inverecundia. Honestati Impudentia. Vitia autem eis opposita per defectum propria nomina non sunt sortita, ut patet de Mansuetudine, contra quam peccatur secundum defectum per iræ facultatem, non increpando, castigando, & vindicando malum, ubi, & sicut oportet; & de Humilitate, contra quam secundum defectum peccatur per nimiam abjectionem sui, & sic de aliis.

(Nihilominus in præcedentis materiæ cognitionem, quæ retro sunt animadvertenda, (vide lib. A. pag. 130. 147. 250. lit. B. pag. 395. lit. G. pag. 169. lit. 1. p. 157. 209. lit. J. pag. 359. &c.) sufficere videntur, eo quod satis, quid nostræ decisiones referant, insinuat: nunc aliquid licet etiam summam proponam; quod titulus 2. 3. 4. & 5. p. 2. comprehendat, supra pag. 116. exprimitur: ceterum sciatur: Deum esse cognoscendum, laudandum, rimendum, eidem serviendum, & quare, à quatuor legibus dicti primi tituli 2. ostendi: quid sit cogitatio, unde proveniat, cupere honores, magnas divitias, delectationes Rex an debeat, sequentis tituli leges quinque præscribunt: verbum quid sit, commodum ex eo species ejus quot, in loquutione quales, & damnus, quod ex irregularibus verbis oritur, leges quinque tituli 4. discernunt: Operatio quid, an triplicis generis, Rex esse sobrius utrum debeat, & quare, lex 1. & 2. tituli 5. exponit: Septem virtutes esse à Rege principaliter habendas, scilicet Fidem, Spem, Charitatem, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Iustitiam, & quare, ejusdem

BIBLIOTECA CENTRAL